

PA 6246

.J6

Copy 1



## NOTÆ IN C. J. CÆSARIS

## OPERA

Eloi Johanneau.

IN LIBRUM I

## DE BELLO GALLICO COMMENTARIORUM.

CAP. II. *Orgetorix*. Oberlin, Bouteroue, Bochat et D. Mionnet (*Descr. des méd.*, tom. 1, p. 92), nummum argenteum referunt, cujus pars antica præbet caput imberbe galeatum, cum epigraphe COIOS; postica vero equum currentem cum inscriptione ORCITIRIX. Bouteroue (*Monnaies de France*, p. 51) non dubitat quin ci, cujus hoc loco fit mentio, nummus iste tribuendus; et COIOS nomen esse pagi censet. Bochat (*Mém. sur la Suisse*, t. 1, p. 584) vult *Coios* latine scriptum esse pro *Caius*, et *Orcitirix* denotasse principem pagi. Ego existimo COIOS esse nomen dei vel dignitatis, idemque esse ac Κοῖος, nomen viri, pro κοῖος vel κοῖέλης, sacerdos; et κοῖος corruptum esse pro χείος, quod derivandum est a χοή, libamen, χοαί, inferiæ libationes in honorem mortuorum, χόες, festum Athenis quo fiebant libamina in Bacchi honorem, ex χέω, libo, fundo; proindeque fere idem esse græce atque nomina latina Julii *Sacroviri* Ædui, et *Sacrativiri* Cæsariani. *Orcitirix* vero formatum est a voce græca ὄρχηστῆς, saltator, vel ab ὄργητος, iracundus, et latina *rex*, Rex tripudii sacri, ut Apollo *Orchestes* dictus, et David ante arcam saltans, vel Rex iracundus, superbus. Sic ab ὄργη, ira, et ὄργηλος, iracundus, nosmetipsi voces *orgueil* et *orgueilleux* mutuavimus; ideoque nihil mutandum in orthographia utriusque nominis; η enim ut ι pronunciabatur, et litteræ χ et γ in η facilis mutatio. Ni fallor igitur, hic nummus ad Cæsaris Orgetorigem potest referri. Sic in nummis

veterum Gallorum, nomen *Dumnorigis* vel *Dubnorigis* cujus mentio est apud Cæsarem, reperitur. *Vide* notam quæ sequitur.

CAP. III. *Dumnorigi*. In nummis gallicis urbi *Tornaco*, vel *Durnaco*, hodie *Tournai*, attributis, inscribitur DUBNOREX vel DUBNOREIX, diverso schemate: nunc miles adest stans utraque manu caput humanum tenens, vel dextra aprum, sinistra vero humanum caput; nunc miles graditur, aprum hasta defixum gestans; nunc miles stat hastatus, ante pedes ejus aper. Postica autem pars nummi habet DVRNACOS vel DVRNACVS, mendoseque DVRNOCOV pro DVRNACOS. *Dubnorex* vel *Dumnorex*, nomen principis, mihi videtur e duabus vocibus *Dominus rex* contractum, idemque esse ac DONNVS pro *dominus*, quod in nummis ejusdem urbis reperitur, titulusque dignitatis *Dom* vel *Don*. Ex etymologia igitur et Cæsare, pro *Dubnorex* et *Donnus* scriberetur rectius *Dumnorex* vel *Domnorex*, et *Domnus*. *Vide* ECKEL, *Doctr. numm. vet.*, vol. I, p. 62 et 74; D. MIONNET, t. I, p. 83, 84 et 89, et not. cap. 2.

CAP. V. *Noreiam*. Duas urbes agnoscunt Noreias nomine Cellarius nosterque d'Anville; unam in Norico agro, alteram in Carnis, juxta Cellarium, in Rhætis vero certius, hodieque St-Léonhard, secundum eundem d'Anville, geographiæ oraculum. D. Manert perperam eandem esse putat: hic mentio est de Noreia Norici.

CAP. VI. *Is dies erat a. d. v kal. apr.* Is dies erat igitur vigesimus octavus martis, ut animadvertit D. Artaud. Indicta fuit sine dubio vere primo hæc emigratio totius gentis, ut *ver sacrum* videretur, et sub auspiciis deorum incepta.

CAP. X. *Graioceli*. Sic legitur perperam pro *Garoceli*, in editionibus recentioribus, quasi siti essent in Alpibus *Graius*, et inde nomen traxissent: *Garoceli*, et *Ocelum*, urbs eorum, ejusdem nominis, in Alpibus Cottiis erant. *Ocelum* est *Usseau* prope Pignerol, non autem *Oneille*, ut in notis gallicis hujus editionis dicitur. *Vide* D'ANVILLE, *Notice des Gaules*, vocibus *Garoceli* et *Ocelum*.

CAP. XVI. *Vergobretum*. Lingua celtica (hibernica) *fear-gobreith* est vir ad judicium, inquit Oberlinus. Sed male sanum est deducere vocem antiquam ab idiomate recentiori et extraneo. Mihi videtur derivandum esse *Vergobretus*, aut a duabus latinis vocibus *virga Bibractis*: Bibracte enim caput et dea Æduorum erat, et nuperrime, id est ante renovationem rerum et legum in Gallia, magis-

tratus Augustoduni, qui in biennium eligebatur, *Vierg* seu *Verg* vocabatur; aut melius a græco ἔργου πρῶτος, dorice πρῶτος, pro πρωτευγός, qui dux est operis, primarius, galliæ, qui est à la tête de l'ouvrage, qui agit ou opère le premier. « *Vergobretus*, ut ait Cæsar, summo magistratui præerat, et vitæ necisque in suos habebat potestatem. » Sic apud Platonem Φυτευγός, qui circa plantas opus facit, consitor, et Δημιουργός, qui publicum operatur, opifex, vocatur Deus. Nummus est unicus penes D. Marchant, virum eruditum Metis consistentem, qui, publici juris faciendò, de re numismatica bene meruit: hujus pars antica præbet aquilam erectam, alas explicantem, cum epigraphe CISIARECO VERGOBRETO; postica vero SIMISSOS PVBLIC... VIO., nempe SIMISSOS pro *Semissis*, PUBLIC. pro *Publicus*, et VIO pro *Divionensis*, vel pro *Flaviopolis*, vel pro civ. *Aedviorum*, vel tandem pro *Branoviorum*, si revera legitur ovio, ut id mihi nuper asseveravit egregius auctor in hunc nummum dissertationis. Divione enim ætatis Romanorum inscriptiones duæ Jovi cujus aquila armiger, repertæ sunt, quarum prior *Fabros ferrarios Dibionenses* memorat; Bibracte a Flavio Constantio Chloro et Flavio Constantino ejus filio *Flavia* dicta est: Ἀιδωνία, non Ἀιδούσια, apud Strabonem legitur; *Branovii*que in clientela Æduorum erant. Revera D'Anville Divionem in Lingonibus collocat, sed ipsius mera est conjectura, a finibus dicecesis Lingonum in medio ævo deprompta. D. Marchant pro ovio legit *Noviodunum*, sed hoc Æduorum oppidum sub Cæsare ab Æduis ipsis direptum et incensum est, et post Cæsarem sub eo nomine nulla est mentio, *Nevirum*que vocatur.

CAP. XXVII. *Verbigenus*. Sic quidam codices et editi libri; sed quamquam in plerisque est *Verbigenus*, aut *Vurbigenus*, aut *Verbigenius*, Cellarius clarissimusque D'Anville, post Cluverium, ex Antonini Itinerario, ostendunt *Urbigenus* esse veram lectionem, quia in illo itinerario *Urba*, oppidum Helvetiæ, occurrit. *Urbigenus* nomen dictum est igitur a duabus vocibus *Urbæ genus*, galliæ *le peuple d'Orbe*. Sic in Cicerone *genus romanum* pro *populus romanus* dicitur. *Urba* autem a verbo *urvum* aratri curvatura Varroni, unde *urvare* Festo, est circumdare, ab eo suleo, ut recte ait, qui fit in urbe condenda urvo aratri. *Urba* amnis, gallice l'Orbe, re ipsa sicut vomer aratri circumdat urbem *Urbam*, quæ hodie *Orbe* vocatur. Reperitur quoque *urbus* pro *urvus*, *urbum* pro *urvum*.

CAP. XXXI. *Ad Magetobriam*. Habent editiones priscae *Amagetobriæ* seu *ad Magetobriæ*, ita quoque græcus interpres Commentariorum Cæsaris, ἐν τῇ Ἀμαγετοβρίᾳ, repugnantibus codicibus. Oberlinus, ex veteri monumento, revocavit *ad Magetobriam*, quam lectionem cum D. Lemaire secutus est D. Artaud, in nostra editione. Utrique lectioni ego assentior : Chiffletius enim in *Vesuntione*, p. 1, c. 35, et D'Anville, *Notice de la Gaule*, p. 60, nominis ipsius vestigia agnoscunt in loco dicto *la Moigte de Broye*, ad Araris et Ognonis confluentes, prope vicum *Pontaillier-sur-Saône*, non confundendum cum *Pontarlier*; egregieque hoc firmatur monumento nuperrime detecto (anno 1802); scilicet inter varia monumenta ex Arari exsiccato eruta, visum est fragmentum urnæ cum epigraphe MAGETOB. Quæ inscriptio, ut ait eruditus editor Collectionis auctorum classicorum latinorum, tum propter vicinitatem loci *la Moigte de Broye*, tum propter similitudinem nominum, satis aperte declarat eandem esse positionem, idem nomen. Hoc quoque confirmatur etymologia hujus nominis. *Magetobriæ* enim nomen conflatum est ex græco μήκιστος, dorice μάκιστος, longissimus (unde *Macistus* mons, et *Macestos* fluvius, apud Plinium), et *bria* pro *briva* vel *briga* pons, gallice, *Longpont*; ideoque gallice scribitur *la Moigte*. Si legendum foret *Amagetobriæ*, et gallice *l'Amoigte* pro *la Moigte*, derivandum esset a græco ἀμαχητός qui non potest oppugnari, et *bria* pons, Pons inexpugnabilis. Alterutram etymologiam pro certo habeo, adhuc autem lectio incerta est; epigraphe enim MAGETOB. in littera M fracta fuit, et huic fragmento littera initialis A deficere potest.

CAP. XXXVIII. *Dubis*. « Codex nullus habet *Dubis*; omnes plus minusve corrupte legunt *Adduadubis*, *Alduadubis*, *Alduasdubis*, *Adduabis*, *Alduadusius*. In hac tanta farragine, Cellarius pro certo posuit *Dubis*: quam lectionem receperunt posteriores. » Ita Oberlinus, qui quærit unde fluxerit ista corruptio. Mihi videtur posse nodum istum solvi hoc modo: *Addua* est vox græca αἰθρία, mergus, cognomen fluvii *Dubis*, unde, cognomine eodem, populi finitimi, *Edui*, vel *mergi*, in altero sensu, nempe alludendo ad *mergus*, gallice, *plongeon*, et *marcotte de vigne*, qui *mergit* se in scrobibus, ut avis hujus nominis, in aquis; unde quoque *Addua* vel *Alduas*, fluvius Galliæ Cisalpinæ, nostratibus *l'Adda*, ortus in *Adula* monte, et qui *Larium* implet lacum, seu lacum avis *larus* dictæ;

unde *Aduatuci* vel *Atuatuci* Eburonibus finitimi, et *Aduatuca* vel *Atuatuca*, oppidum Eburonum, ejus nomen ex *αβυια*, mergus, et *τὸ χη*, fortuna, compositum est, et significat *Fortuna mergus*. Reperitur in Columella *mergere vitem*, gallice, *marcoter la vigne*; insuper vox gallica diminutiva *marcotte* est vox latina *mergus*. *Aldua* vel *Alduas* igitur corruptio est vocis *Addua*, mutatione litteræ *d* in *l*, ut in lacryma a *δάκρυ*, et *Addua* vel *Adduas* verbi *αιβυια*. Sic pro *Αἰδης* vel *Ἄιδης*, Græci dixerunt *Ἄδης*. *Dubis* vero vel *Dusius*, fluvii nomen proprium, a voce *δύω*, mergo, subeo, formatum est; et re vera fluvius *Dubis*, ut *Anas* fluvius, in cuniculos mergitur, et subterlabitur. Legendum igitur *Adduadubis* aut *Adduadusius*, et, duabus vocibus, *Addua Dubis*, vel *Adduas Dusius*, unde Aphæresi dicitur hodie *le Doubs*. Quoad nomen *Adduabis*, quod corruptius est, a voce *Adduadubis* contractum est. Forsan igitur in varios codices nullus error incuria librariorum irrepsit, et varietates lectionum a differentia pronounciationis tantum manant. Inde etiam *ALDUOVORIX*, quod in inscriptione coloniae Sequanorum legitur, apud Gruterum, p. 815, n<sup>o</sup> 10.

## IN LIBRUM II.

CAP. XXXIV. *Sesuvios*. Hadr. Valesius, Ciaconius, Ursinus et Vossius *Lexuvios* aut *Lexovios* scribendum putant, quia *Sesuvii* nuspiam. D'Anville rem in dubio reliquit; mihi autem cum Oberlino videtur nihil mutandum in textu. *Sesuvii* idem est nomen ac *Eusubii*, III, 7, et *Essui*, v, 24, metathesi et contractione. Sic *Salyes* vel *Salvi* contractio est nominis *Salluvii*; sic dicitur græce metathesi *ἔσσυμαι* pro *σέτυμαι*, et *ἔσσευμαι* pro *σέτευμαι*, utrumque a *σέω*. *Sesuvii* vero, *Eusubii* et *Essui* iidem sunt quoque ac *Sagii*, qui memorantur in Notitia veteri Galliarum, et horum nomen existit adhuc in *Essey* et *Sééz*. *Eusubii* dictum est pro *exuvia* serpentis, quæ forte galearum insignia erant, vel melius pro *Eusebii*, ab *Εὐσεβής*, id est pii, sicut *Euhages*, sancti; et *Sagii* pro *sagi*, a *sagus*, vates, nempe druidæ, gallice, *devins*, *sages*, sicut Apollo, vel serpens Python, a Beleno Baiocassum deo, profligatus. *Sesuvii* igitur, vel *Essui*, idem est nomen græce, ac *Sagii* latine. In finibus Sagiorum et Carnutum erat Saltus Perticus (pro *Peraticus*), *le Perche*, a *πέρας*, -ατο., finis, ubi ex Cæsare Druidarum consessum annum statuo. Inde Normannia *Pays de sapience* hodie dicta; inde apud Sagios *Oxi-*

*mun* vel *Oximus* urbs erat, pagusque *Oximensis*, hodie *Exmes* vel *Hiemes* et l'*Hiémois*, cujus nomen ab *ocimum*, græce ὄκυμον, basiliscus, oritur; inde *Diablintes* a διάβολος, apud quos *cathedra Diaboli*, *la chaire au Diable*, iis contermini erant, et in vicino mons Saneti Michaelis, qui *Diabolum* vicit.

## IN LIBRUM III.

CAP. VII. *Unellos*. Male legitur pro *Eusebios*. Vide not. II, 34.

CAP. IX. *Ambiliatos*. Ita codices plerique quos Oudendorpius secutus est. Alii vel *Ambialites*, vel *Ambialiates*, et sunt plures varietates. Quædam exemplaria habent *Ambiliati*; interpres græcus τους Ἀμβιλιάτας. Nihil in ea re certum censuit D'Anville. Ego vero suspicor 1° eosdem esse qui *Ambibari* pro *Ambiliati*, VII, 75: hi enim *Ambibari* inter armoricas civitates numerantur; 2° *Ambialites* vel *Ambialiates* lectionem vere germanam esse; 3° eorum nomen ab ἀμφιαλος, mari circumfusus, oriri; proindeque circa duo maria, *la Manche* et *la mer du nord* hodie diæta, consedisse, infra et supra Fretum gallicum, in pago qui postea *Gessoriacus* vocatus est; 4° *Gessoriacum* vel *Gesoriacum*, post Bononiam, *Boulogne*, Itium portum, *Vissant*, Ulteriorem portum, *Calais*, ipsorum oppida fuisse, itemque portum *Ambleteuse*, cujus nomen erat, in media ætate, *Amfleat*, et *Amfleot*. Vide not., IV, 9, et VII, 75.

CAP. XVII. *Viridovix*. Editores eruditissimi Bibliothecæ classicæ latinæ hoc loco animadvertunt pleraque nomina principum inter Gallos desinere in *-rix* vel *-vix*, vel etiam in *-rex*; et quærent unde exierint istæ syllabæ finales. Jam dixi supra syllabam *-rix* vel *-rex*, quæ reperitur tantum in nominibus propriis, esse eandem atque vocem latinam *rex*. Quoad syllabam *-vix*, in quam desinunt nomina propria principum inter Gallos, mihi videtur differre solummodo numero singulari a *-vices*, syllaba finali et plurali nominum populorum Galliæ, et formatam esse a voce græca οἶκος, domus, familia, vel a latina *vicus*, quæ exit ex eadem, fere eodem sensu. Itaque, ut afferam exemplum utriusque, mihi videtur nomina *Viridovix* et *Lemovices* composita esse, prius, ut *Viridomarus*, a voce græca Ἴρις, -ιδος; arcus celestis, Iris dea, gladiolus, gallice, *flamme*, *lis des marais* vel a latina *viridis*; posterius, a verbo λιμός, fames, homo sordidus, gallice, *famine*, *homme très-avare*, et utrumque ab οἶκος seu *vicus*. Ita de *Eburovices* et *Branno-*



*vices*, præsertimque de nomine *Cambiovicenses* conflato a *Cambium* et *vicenses*, quæ ultima vox a *vicus* derivatur: *Cambiovicenses* denotat igitur populos qui *Cambii vicos* habitabant, proindeque in finibus, Mercurium mereatorum luerique deum colebant; et reipsa populi sunt etiam nunc subdoli provincie finitimæ inter Bituriges et Lemovices, hodie *la Marche* nuncupatæ. Hæ origines in opere gallico manuscripto, cui titulus est *Géographie archéologique et mythologique des Gaules*, fusius demonstrantur.

CAP. XXII. *Adcantuannus*. Mirum in modum variat hujus nominis lectio. Alii *Adiatunus*, *Adiatonnis*, *Adiaterinus*, et aliis modis. Exstat nummus a Pellerin. citatus, *Rec.*, 1, p. 32, ubi legitur REX ΔΑΛΕΤΩΝΝΟΣ. In area caput leonis, in parte adversa SOTIOGA; sed ad Sotiates *Adcantuannus*que referri posse non mihi videtur. Is rex *Adcantuannus* apud Athenæum, lib. VI, et in ecloga e libro CXVI Nicolai Damasceni, Ἀδίατομος vocatur. Scripti libri nihil variant. Constat tamen alterutro loco mendose scribi hoc nomen. Sed Ἀδίατομος græcum est, sicut et *Sotiates* quorum rex erat, significatque, qui non est in duo scissus vel divisus; e contra *Adcantuannus* nec græcum, nec latinum. Nil dubium igitur quin sit legendum etiam in Cæsare *Adiatomus*.

CAP. XXII. *Soldurios*. Hæ vox mere latina est, non celtica, id est cambrica vel armorica, ut male asserunt nonnulli: eandem originem et significationem habet ac vox gallica *soldat*, antiquitus *soldier*, *souldard*. Utraque derivatur a *solidum*, gallice *solde*, paye, salaire, *soldus*, nummus aureus qui *solidus* est, id est qui non est pars alterius; quod *soldurii* stipendio quasi mercede conducti essent: hoc verbis ipsius Cæsaris confirmatur, et sole meridiano elarius est. Male igitur σιλοδύροι aut σιλοδούνοι apud Athenæum, Nicolaum Damascenum et Eustathium legitur. Nomen vero populi *Sotiatum*, quos Σωτιανοὺς vocat Athenæus vel potius Damascenus, et inter quos *Soldurii* erant, mihi videtur esse derivatum a participio præsentis verbi græci σώω, servo, sospito, gallice, *conserver*, *garder sain et sauf*, significatione paululum deflexa, sed fere eadem ac *Soldurii* et *Devoti*. *Sotiates* corruptum est igitur a *Sontiates*, et sic rectius legitur in nonnullis editionibus. Idem nomen decurtatum existit adhuc in nomine urbis *Sos*, quæ ad Gelisam sita est; et scribitur *Sotia*, *Sotium*, in scriptis mediæ ævi, ut D'Anville animadvertit. *Devoti* autem dicebantur qui se morti devovebant. Id

de Celtiberis habet Valerius Maximus, lib. XII, cap. 6 : *Celtiberi nefas esse ducebant proelio superesse, quum is occubisset pro cuius salute spiritum devoverant.* Aliquid erat simile in cohorte sacra Thebanorum ccc.

#### IN LIBRUM IV.

CAP. I. *Tenchtheri.* Hoc nomen variis modis legitur apud varios scriptores, sed corrupte admodum. Plutarchus, in Julio Cæsare, Τεντεριδαι habet, loco cuius Τενχθεριδαι nonnulli reponere volunt, ego vero Τεγγχεριδαι; sic et pro *Tenchtheri*, *Tenchteri* legendum censeo, ex orthographia Plutarchi ipsius et etymologia. Nomen enim eorum populorum mihi videtur ex græco τεγγχτός, *tinctus*, derivatum. *Tenchteri*, sine dubio, se colore inficiebant, ut Britanni, Pictavi, Agathyrsi, Thraces et Illyrii. *Vide not., v, 14.*

CAP. IX. *Ambivaritos.* *Ambivariti* et *Ambivareti* certe iidem sunt, sed situs eorum trans Mosam hodie ignoratur. Attamen diversi sunt ab *Ambivaretis* Æduorum clientibus, VII, 75, pro quibus reponendum est *Ambarri* qui reipsa in clientela Æduorum erant, et circum Ararim incolebant, ut bene conjectatur D'Anville, et mihi indicatur ab etymologia nominis *Ambarri*, ex *amb-*, circum, et *Arar*, contracti in *Arr*, compositi. Nomen e contra *Ambivareti* vel *Ambivariti* ex præpositione græca ἀμφί, et ἀριτός, maledictus, formatum est; quod alludit sane ad nomen *Mosæ* fluvii, a græco μυσός, detestandus, abominandus, execrandus, ortum. Oppidum igitur eorum erat *Mons maledictus*, *Montmédi*, trans Mosam; et quidem forte *Satanacum*, *Stenai*, a *Satanas*, *Satan*, et *Sédan* ab eadem voce; utrumque enim sunt ad ripam Mosæ dextram, proindeque trans Mosam. *Vide not., VII, 75.* Sic hodie ad Scarponam Mosellæque ripam quidam campus dictus est *la Terre maudite*. Sic *Arvii*, qui *Diablintibus* contermini erant, et *Diabolun* seu Pythonem quoque colebant, a græco ἀπειῖοι, maledicti, diris devoti, vocabantur.

CAP. X. *Vosego.* Varie scribitur *Vosegus*, *Vosagus* seu *Vogesus* metathesi, græce Βοσῆκος. Mihi videtur derivandum esse a græco βούς *bos*, et ἀγός, *dux*, *Bos ductor*, sicut *bos Cadmi*, vel melius a βούς et σῆκος, *septum*, *fanum*, *sanctuarium*, *bovis sacri septum*, gallice, *la crèche du bœuf*. Glareanus itaque male legit *Mosegus*, quasi a *Mosa* derivatum esset.

CAP. XVIII. *At Sigambri.* At vacat in codd. et edd. Oudendorpius reposuit ex Ursino, cujus codex mendose ferebat *ut. Sigambri* non *Sicambri* ex codicibus et etymologia legendum est; nam *Sigambri* mera est vox græca *σύγγαμβροι*, mariti duarum sororum, ex *σύν*, simul, et *γαμβρεύω*, connubio jungo. Mos erat igitur apud eos duas sorores germanas simul uxores ducendas esse a duobus fratribus germanis vel ab uno marito; unde et nomen *Germani*, quod alibi demonstrabo. Ceterum, ut notat recte eruditissimus Lemaire, facilis mutatio litteræ *g* in *c* fuit.

CAP. XXI. *Commium.* In *Thesauro Brandenburg.* vol. 1, p. 305, exstat nummus, in cujus una facie circa equum, COMMIOS, in altera caput galeatum cum hac inscriptione GARMAN., quam non nulli explicant *Germanus*, sed sine auctoritate. In duobus ejusdem nummis eruditissimus D. Mionnet (*Descr. des méd.*, tome 1, pag. 86 et 87) legit in antica parte CARMANO. et CAR., in postica COM. et COMIOS. Orthographia igitur hujus nominis nummis non sistitur. In dubio quoque etymologia eam relinquit; *Commius* enim vel *Comius* a græco *κομμός*, ornatus accuratior et fucatus, vel a *κομη*, coma, cæsaries culta, potest derivari. *Commium* ergo lectio, ut habent codices et editiones nonnulli pro *Commium*, ableganda non est. Nomen autem *Garmanus* mihi videtur legendum *Germanus*, sicut in nummo *Germani Indutilli filii*, not., v, 3; aut rectius *Carmanos*, quod tunc derivatum esset a græco *χαρμή*, animus ad pugnandum alacer, pugna, conflictus, unde voces gallicæ *escrime* et *escarmouche* oriuntur.

CAP. XXIII. *Britanniam attigit.* Suspicitur D'Anville (*Géogr. anc.*, tom. 1, p. 101) Cæsarem appulisse ad eam Britanniae oram quæ nunc dicitur *Lyme*, latine *Lemanis*, haud longe distantem ab urbe *Dubris* (Douvres). Hanc conjecturam firmat natura locorum, id est *apertum et planum litus*; firmat et etymologia: *Lemanis* enim est vox græca *λιμὴν*, portus, mutatione litteræ *n* in *a*, pro more dialecti doricæ.

## IN LIBRUM V.

CAP. II. *Ad portum Itium.* Hodie *Wit-sand* seu *Wissant*, prope Bononiam, sicuti eruditissimo D'Anville placuit, et postea viro non minoris in rebus geographicis peritiæ, Gosselin (*Strab. gall. version.* 1, 77, n<sup>o</sup> 1). Ex hoc enim portu brevissimus est in Britanniam trajectus, ut ait Cæsar; quod et indicatur etymologia

græca ἰθύς, rectus, gallice, *qui est ou va en ligne directe, en droite ligne*, ἰθύω, recta feror. Sed observandum est hoc nomen varie scriptum esse, nempe *Itius* per *t*, in libris scriptis Cæsaris juxta Fulvium Ursinum, et Ἴτιος apud Strabonem; vel Ἴκίος, per *κ*, apud Ptolemæum, *Iccius* denique per *cc* in scriptoribus mediæ ætatis, sicut *Iccius*, Remorum legatus ad Cæsarem, 11, 3 et 6. Si *Itius* legendum foret, a voce græca ἰθύς, rectus, vel a latina *itus*, *-us*, aut *itio*, *-ionis*, deducerem, et ad hanc etymologiam mihi argumento forent multæ inscriptiones *pro itu et reditu*, deæque *Abeona* et *Adeona*; contra si *Icius* vel *Iccius*, a græca ἴκω, fut. ἴξω, venio, ἴξις, adventus.

CAP. III. *Indutiomarus*. Nummum hujus possidebat Oberlinus, cujus antica pars offert caput juvenile absque epigraphe; postica vero bovem gradientem cum hac inscriptione: GERMANVS INDVTI. IIII. Sed hic nummus ad Induciomarum nihil pertinet; nam D. Mionnet (*Desc. des méd.*, t. 1, p. 90, n° 66) legit ibidem rectius GERMANVS INDVTILLI. I.; et mihi videtur ultimam litteram I. esse pro F., integramque inscriptionem legendam esse *Germanus Indutilli filius. Indutillus* ut *Celtillus*, Vercingetorigis pater, et *Cavarillus* Æduus. Male igitur ab Oberlino concluditur ex hoc nummo nomen *Indutiomarus* scribendum esse per *t*, non per *k*, ut græcus interpret habet, et requirit etymologia: *Induciomarus* enim formatum est a voce latina *induciæ* et a verbo *marus*, contracto et derivato a *major*, urbis præfectus, qui induciis præpositus est, ut Lycaon, a λύκος, lupus, qui inducias invenisse dicitur, gallice, *le maire des trèves, la trêve du seigneur*, vel ut *S. Germanus*, cui comes erat *S. Lupus*; proindeque scribi debet *Induciomarus*, non *Indutiomarus*.

*Cingetorix*. Nihil hic celticum, ut credit Oberlinus: nomen omnino græcum est. Conflatum est enim contractione a voce κυνηγέτης, *-ου*, venator, et *rex*, sonatque *Rex venatorum*, gallice, *le Grand veneur*. Vide, cap. XXI, notam *Lugotorige*.

CAP. XI. *Cassivellauno*. Codex Bib. reg., 7, 563, habet modo *Cassuvellannus*, modo *Casivellaunus*. In Dione legitur corrupte Σουέλλαν; in Polyæno Κασόλαυλον, male quoque. Hoc nomen a duobus coalescit, nempe a *Cassi*, Britanniae populi, et a *Velauni*, Galliae: prius à κάσις, *-ιος*, frater, soror, consobrinus, germanus, coætaneus; posterius ab ἐλαύνω, abigo, agito, proveho, duco, for-

matur. *Cassivellaunus* sonat igitur, qui abigit vel agitat Cassos, gallice, *Chasse-Casses*, qui *chasse les Casses*, scribendumque *Cassivellaunus*, græce Κάσσιουελαυνος, vel *Cassivellaunus*, geminando *l*, ut in *Vellaunodunum*, oppidi Galliæ nomine, euphoniæ causa; sicut in *Cassi* pro *Casi*, et in finali *-casses* nominum Galliæ populorum, ejusdem originis.

CAP. XIII. *Hibernia*. Addunt nonnulli *insula*. Hibernia, quam minus recte et contractione vocat *Juverna* Pomp. Mela, a voce *hybernus*, hyemalis, nomen ducit, sonatque *insula* in qua *hyems* protrahitur, vel quæ ab occidente hyemali jacet. Melius ergo scriberetur *Hybernia*.

*Mona*. A græco μονή, dorice μονά, mansio, habitatio, quod hæc *insula* ultimùm, ut ait Tacitus, druidarum profugarum refugium, reipsa esset inter Britanniam et Hyberniam mansio Druidarum et navigantium.

CAP. XIV. *Vitro*. « Hic cum Cæsare consentiunt Mela, lib. III, c. 6, et Vitruvius, lib. VII, c. 14, qui habent quoque *vitro*. Orbasius autem scribit *isatim* infectores *vitrum* appellare; et Marcellus Empiricus, c. 23: « *Herba*, inquit, *quam nos vitrum*, Græci *isatida* vocant. » Porro Plinius (*Hist. nat.*, lib. XXI, c. 1) eosdem Britannos ait *glasto oblinere corpora*. Sunt ergo *vitrum* et *glastum* et *isatis* diversa nomina ejusdem plantæ, cujus succis expressis Britanni ad inficienda corpora usi sunt. » Ita Oberlinus et D. Lemaire. Hæc tria nomina græcam originem habent, nempe *vitrum* a φαίδρος, clarus, nitidus, lucens; *glastum*, ex quo vox gallica *guède* manat, a κλάστης, qui frangit, forte ut quædam herba cujus mentio fit apud Plinium, vel melius a χλοάζω, vireo, κλόα, herba viridis, gallice *gazon* pro *glazon*, britannice armoriceque *glas*, viridis, cæruleus, lividus; *isatis* ab ισάτις, *glastum*, voce composita ex ἴσιος, par, æqualis, et ἄτη, damnum, clades, Até, dea malefica, ἀτίζω, nocere. *Glas* enim vel *gloas* substantive malum sonat armorice. Vox igitur *glas* græcam quoque originem habet, necdum ex ea vox græca *glastum* oriatur. Hujus autem moris vestigia, ut ante animadvertit Oberlinus, superesse videntur inter Scotos hodiernos, apud quos vestimenta tum capitis, tum corporis sunt variegata duobus coloribus, scilicet croceo et cæruleo, in modum cancellorum; et hoc modo tincta fuisse veterum Britannorum corpora, nec non et Gallorum *virgata sagula*, credere est.

CAP. XXI. *Cassi*. Vide supra, cap. XI, *Cassivellauno*.

*Oppidum*. Usi sunt Britanni voce *caer*, quæ habet radicem verbum hebræum צָרַר, quod convocare significat. Ita Joh. Clericus, ait Davisius, cui hæc origo hebræa arridet. Sed mihi luce clarius est *caer* britannice, *ker* armorice, vocis latinæ *castrum*, ex qua Angli *cester* in nominibus urbium formarunt, contractionem esse.

CAP. XXII. *Lugotorige*. « Al. *Cingetorige*. Ex multis codd. contra Hotman. Brantii Bongars pr. Vossiani omnes *Lugotorige*, *Lutogorige*; Celsus, vita Cæsaris, *Legotorige*: at græcus interpres Commentariorum, Κιγγετόριγα. Nostri quoque codd. variant: cod. R., 5, 763, *Lugotorige*; unde rem dirimere admodum sit difficile. » Ita D. Lemaire. Etymologia hujus nominis, compositi ex λυκοειδής, lupo similis, matutinus, albescens ut alba matutina, vel *Albion*, et *rex*, analogumque nomen *Luguvallum*, hodie *Carlile*, indicant *Lugotorige* pro *Lucodorige*, scribendum esse; facile enim κ in γ, et δ in τ mutatur.

CAP. XXIV. *Essuos*. Vide supra *Sesuvios*, not. in librum II, cap. XXXIV.

*Ambiorigis*. Hujus nummus exstat, apud Eckel (*Doctr. numm. vet.*, t. I, p. 76) et apud D. Mionnet (*Descr. des méd.*, t. I, p. 83). Pars antica offert Palladis caput galeatum, postica equitem hastatum, cum epigraphe EBVRO. pro EBVRONES. Legitur quandoque in parte antica AMBIORIX vel TAMBIL. *Ambiorix*, Eburo-num princeps, significare debet *Ambianorum rex*; aut rectius, a græco ἀμφί, latine *amb-*, circum, ἰός, jaculum, ἰέω, mittere; Rex qui circumjicit jacula vel sagittas, sicut ἰνίος vel ἠίος, Apollo, jaculandi peritus; unde et *Ambiani*; sicut *Sanctus Quintinus*, *Ambianorum* et *Veromanduorum* apostolus, *contis* transfixus, et cujus nomen a κόντος, *contus*, hasta longa et robusta nautica, derivatur; *Tambil* vero pro *Tambilos*, stuporem injiciens, sicut Palladis vel Medusæ caput, a voce græca θαμβάλλος.

CAP. LIV. *Moritasgus*. Ex multis inscriptionibus conjicit Thomas Reinesius, epistola 67, quemdam Gallorum fuisse huic cognominem. Unde colligit idem aliquem δμόνυμον e majoribus *Moritasgi* nostri a suis ob merita pro deo habitum fuisse; ita Davisius. Alesia reperta fuit, anno 1652, inscriptio in qua porticus *deo Moritasgo* positi mentio fit. Brotier deum illum esse ipsum *Moritasgum*, re-

gem Senonum, suspiciatur; sed certissime fallitur. Illum nec Romani, nec Galli sacraverunt. Regi Senonum nomen erat dei Moritasgi, in cuius tutela positus erat a die natali, vel a pueritia. Moritasgi autem nomen formatum est a græco *μωρία*, stultitia, et *τάσσω* vel *ταξίω*, ordino, apte dispono, in acie colloco, aciem instruo, *τάξις*, ordinatio, ordo aciei, acies, agmen, turma, cohors; significat igitur qui *Morice* vel stultitiæ aciem instruit, alludendo ad cultum Berecynthiæ seu Magnæ Matris, hodie *Mère-folie*, *Mère folle*, apud Æduos celeberrimum, et ad turmam ei sacratam, nomine gallico *compagnie de la mère folle*. (Vide Du Tilliot, *De la fête des fous*, in-4<sup>o</sup>, 1741.) Inde sceptrum huius *Matris deum* dictum gallicæ *marotte* pro *merotte*, id est, *petite mère*. Inde quoque, apud Cæsarem, v, 25 et 22, nomina *Tasgetii*, rectius *Tasgæti*, Carnutum regis, et *Taximaguli*, unius ex Britanniæ regibus, prius a *γῆης*, *-ητος*, incantator, præstigiator, sicut et *Tasgætium*, nomen urbis Helvetiorum prope *Magiam*; posterius a *magulus*, diminutiva voce *μάγος*, magus, id est druida. Moritasgus igitur deus Æduis, *Matris Fatuæ* cultoribus, Momus erat.

## IN LIBRUM VI.

CAP. X. *Bacenis*. Bacenis sylva erat pars aliqua Hercyniæ sylvæ quæ describitur infra, cap. 24. « Bacenis, inquit Hotman, pars Hercyniæ sylvæ quam nunc *Nigram* vocant, *der Schwartzwald* (la Forêt noire), a Nechari amne ad Mœnum. » Nomen ejus originem a græco *βασκανία*, fascinatio, *βασκαίνω*, fascino, trahit; significat igitur gallicè, *la forêt de l'enchantement, ou qui fascine, enchante, charme, ensorcele*. (Vide *Hercyniam sylvam*, cap. xxiv.) Inde forsitan nominis *Volcæ* origo, a græco *φολκός* strabus, luseus, qui habet oculos distortos, ut *fascinatrices*: Hæ gentes circum Hercyniam sylvam ejus pars erat sylva *Bacenis*, consederunt; Pliniusque, lib. vii, cap. 22, ex Isigono narrat in Triballis et Illyriis esse qui visu effascient, interimantque quos diutius intueantur, iratis oculis; et fæminas in Seythia, quæ vocant *Bithyæ*, quod pupillas binas in oculis singulis habeant.

CAP. XV. *Ambactos*. « Iidem prope qui *Soldurii*. Vide not., III, 22. *Ambactus* *δοῦλος μισθωτός*, servus mercede conductus: ita veteres glossæ. *Ambactus*, apud Ennium, lingua gallica *actus*

dicitur, ait Festus. Hunc Diodorus Siculus appellat *διάκονον*, ministrum ingenuæ conditionis. Ea voce similiter sonante et ejusdem originis utuntur etiam nunc Flandri *ambacht-man*, id est homo quæstus causa operam suam alii locans. Adde præterea Cæsarem ipsum, qui hæc duo nomina *ambactos clientesque* ita jungit, ut alterum esset interpretatio latina alterius vocis celticæ. *Ambactum* igitur interpretor non servum, non mercenarium, sed ministrum, assiduum comitem, ut sunt apud magnates nostros *les officiers attachés à la maison, les écuyers, les pages, les principaux domestiques à gages qui ne portent point livrée*. In eo differunt a clientibus romanis, quod mercedem aliquam pro sua opera recipiunt. » Ita fere Oberlinus, cui suffragor quoad sensum vocis, non autem quoad etymologiam; in hac enim nihil adhuc celticum. *Ambactus* vox est mere latina, composita, ut *ambigo*, ex *amb-*, pro *am-*, ante vocalem, circum, et *actus* ab *ago*, qui agit vel cui actus est circum patronum in domo ejus, gallice, *qui a une charge, qui est charge de quelque fonction autour d'un patron dans sa maison*. Respondet igitur voci nostræ *vassal* pro *gas* vel *gars de la salle*, ou *manoir seigneurial*, ex qua diminutivum *valet* pro *vassalet*, contractione formatum est. Apud D. Mionnet, t. 1, p. 85, exstat nummus cujus pars antica offert aquilam in medio coronæ laureæ volentem, postica vero bovis caput cum epigraphe AM-BACTVS.

CAP. XVII. *Mercurium*. Alii *Teutamem* appellant nomine Gallis peculiari, a græco *θεότατος*, gallice, *déissime* (si licet uti hoc verbo), maximus deus, ut ait Cæsar. Male igitur idem esse nomen existimant, quod apud Ægyptios *Theut* vel *Thot*, apud Græcos *θεός* vel *Ζεύς*.

*Apollinem*. *Belenus* dicebatur a Gallis Baiocassibus, peculiari quoenomine, ut videtur ex Ausonii carm. 11, *De prof. Burd.*; eo autem nomine vocabant etiam Norici, teste Tertulliano, *Apolog.*, c. xxiv; *Belis* seu *Belinus* ab Aquileiensibus, teste Herodiano. Inscriptiones permultæ in Gallia repertæ de Apolline Beleno mentionem faciunt. Has collegit Ritterus in *Historia Gallorum*, p. 257. Nomen hujus dei nec celticum, id est cambro-britannum vel armoricum, nec hebræum est, sed græcum. *Belenus* est vox græca *βέλεμνον*, telum, sagitta, seu *βέλενος* vel *βέλεννος*, nomen piscis cujusdam propter sagittæ speciem, gallice *un dard*; *Belis* vero a *βέλος*, telum, jaculum,



sagitta, eodem sensu formatur, sicut nomen Sancti Quintini a *κεντος*. Apollo *Βελεσιχαρης*, vel sagittis gaudens, dicebatur. Vide notas *Ambiorigis*, lib. v, cap. xxiv, et vii, 75, *Lemovices*.

CAP. XXI. *Parvis rhenonum tegimentis*. Interpretatur *pellibus rhenonum*, id est *peaux de rennes*, D. Lemaire. « Minime enim dubium, inquit, mihi videtur quin *rhenos*, gallice *le renne*, sit nomen animalis, non vestis, ut Isidoro, *Orig.*, 19, 23, et Servio ad *Georg.*, III, 183, plaenit. Male qui legunt *rhenorum*, pejus qui legunt *rhenum*. Leetio Cæsaris sineera videtur; noster tamen codex, 5, 764, *rhenorum* » : hæc ille. Sed animal istud hodie in Germania non reperitur; et vocem *rhenones* mihi videtur derivatam esse a græco *ῥήν*, *ῥήνός*, ovis, ut *ῥήνικες*, ovium pelles, et esse ejusdem significationis.

CAP. XXIV. *Hercyniam sylvam..... quam illi (Græci) Orcyniam appellant*. « Ita codd. et edd. vett., ait D. Lemaire; ita quoque Ptolemæus et græcus interpres: eadem est (*Orcynia*) ac *Hercynia sylvæ*. Ortum hoc nomen ab *Hartz, Hartzwald*. » E contrario *Hartz* vel *Hartzwald* mihi videtur a germanico nomine ejus hodierno *Schwartz*, vel *Schwartzwald* corruptum, quod significat *Nigra, Nigra sylvæ*, id est *deformis terris, aspera calce, tristis situ cultuque*, ut ait Tacitus; *Hercynia* vero, quæ *Ἐρκύνιος δρυμός*, Juliano est, a græco *ἔρκάνη* vel *ἔρκος, ἔρκιον*, septum, sepes, et *Orcynia* ab *ὄρκάνη*, voce ejusdem significationis, oriri. Fere eadem igitur differentia est inter *Hercynia* et *Orcynia*, ac inter *ἔρκάνη* et *ὄρκάνη*. Inde varietas nominis, eademque significatio. Respondet igitur voci gallicæ *la haye*, (*l'enceinte* ou *forêt sacrée*), ex qua *la Haye* in Hollandia, et in Francia *St-Germain en Laye*, pro *en la haye*, et tot nomina locorum, dueunt originem.

CAP. XXVII. *Alces*. « Nonnulli, ait D. Lemaire, post Oberlinum, volunt nomen *alces* a græco derivari *ἀλλή*, robur. Et reipsa Pausanias, l. ix, c. 21, de *alce* loquitur, quem vocat *ἀλλήν* perperam: nam Græcis ante Pausaniam incognitum animal istud erat, et nomen *ἀλλή* datum a Pausania, est effictum ex nomine aleis cæsareæ; præterea græcus interpres vertit ex more latino *ἄλλες*, non ex more græco *ἄλλαι*; unde coniecere licet nomen esse celticum *elch* sive *elg*, cui simile *el, aelg* et *oelg*, etiamnum in septentrionalium europæorum sermone restat. Germanice vocatur *das elendthier*, gallicè *l'élan*. Plinius idem animal vocat *machlin* vitiose pro *aclin*, addita littera *m* ex voce præcedenti, factum ex

*elch*. Sed hæ descriptiones nullomodo cæsarianæ conveniunt. Buffon, virque doctissimus ipse Cuvier nihil certi quoad speciem animalis inesse fatentur. » Ego autem, quoad etymologiam nominis, certo mihi certius est : 1<sup>o</sup> nihil hic celtici inesse ; 2<sup>o</sup> *Alces*, quod et fluvii nomen est apud Plinium, effictum esse ex græco ἀλκήεις, contractione ἀλκῆς, fortis, strenuus, numero plurali ἄλκες, ut recte scribit græcus interpret, quod scripsisset ἀλκαί, si ab ἀλκή substantivo derivatum esset, ut nonnulli volunt ; 3<sup>o</sup> nomina germanica *elk*, *elch*, *elg*, *aelg*, *oelg*, *el*, ex nomine græco corrupta esse ; 4<sup>o</sup> nomen gallicum *élan* idem esse ac vocem *élan* pro *élan-cement*, proindeque nominis græci *alces* versionem ; 5<sup>o</sup> *Machlis* ejusdem animalis nomen in Plinio, pro *aclis* truncato non esse, sed meram vocem græcam μάχλης, lascivus, salax, libidinosus, *μαχλῖς*, lasciva, meretrix. Quoad animalis genus, pro phantastico numinis *Alcis* emblemate habeo.

CAP. XXVIII. *Uri*. Id est boves montani, ex etymologia : *urus* enim dictus est a græco οὔρος, pro ὄρος, mons, unde adjectivum ὄρειος, montanus, in montibus degens, subaudito βούς, bos. Servius ad hunc versum 374 Virg., lib. II, *Georg.* :

Sylvestres uri assidue, capreæque sequaces.

*Sylvestres uri*, ait, *id est boves agrestes qui in Pyrenæo monte nascuntur inter Gallias et Hispanias posito*. Idem celeberrimus vir Cuvier [de uris ita loquitur : « *Uri*. Bœufs sauvages. La plupart des<sup>7</sup> naturalistes pensent que c'était l'animal appelé encore *urochs* ou *auer-ochs* par les Allemands ; *auer-ochs* signifie bœuf de montagne : ils jugent aussi, pour la plupart, que le bison de Pline, liv. VIII, c. 15, semble indiquer le *bison* et l'*urus* comme deux espèces, et j'ai découvert, en effet, qu'il y a eu autrefois en France deux espèces de bœufs sauvages. » Nomen germanicum *urochs* ab *auer-ochs* contractum est ; *auer-ochs* autem ab *ochs*, taurus, bos, et *auer*, adjectivo ab *ae*, planities, campus, derivato, compositum, sonatque igitur *bos agrestis*, ut *urus* explicat Servius. Errarent ergo qui nomen *urus* a germanico *auer* contractione formatum esse crederent. Hæ duæ voces omnino significatione et origine differunt.

CAP. XXXII. *Aduatucam*. Editiones veteres nosterque codex regius antiquissimus (5763) habent *ad Vatucam* ; alter vero (5763) non deterioris notæ, *Aduatucam*. Ursinus primus, et post hunc,

Hadr. Valesius, *Notit. Gall.*, p. 566, has voces duas in unam jungendas esse reete probarunt. Reipsa, Ptolemæus habet Ἀτιύα-  
τουρχον Ἰόγγρων, et ita sensus poscit. Vide *Dubis*, not. in lib. II, cap. XXXVIII.

## IN LIBRUM VII.

CAP. IX. *Gergoviam*. Codex solus Vossii *Gergoniam* habet. Alii omnes vel *Gortoniam*, vel *Gorgobinam*; unde perperam Cæsaris editor novissimus affirmare ausus est non *Gergoviam*, sed *Gortoniam* vel *Gorgobinam* legendum esse, censuitque fortasse nomen utrumque habuisse. Hic nihil immutandum; quo autem loco situm fuerit hoc oppidum incertum est, nisi forte *Coulevre* aut *St-Voire*.

CAP. XXXI. *Teutomatus*. Vitiose admodum legitur nomen istud, ut alia ejusmodi. Græcus habet Τευτομάτης; Oberlinus legendum proposuit *Teutomarus*, sed nihil adhuc mutandum mihi videtur. Ad instar tot nominum græcorum, *Teutomatus* ex voce μάτος, dorice, pro μήτος, vel μῆδος, cura, consilium, formatur, aut verbo ματέω, quæro, indago, μάτος, inquisitio, ματήρ, vel in compositione ματής, inquisitor, indagator: *Teutonum consilium* igitur significat, vel melius *Teutonum indagator*. Quæ etymologia *Teutomatus* germinam esse lectionem statuit. Idem rex sane est qui infra, cap. 46, etsi aliter scribitur in eod. 5763, *Votomatus*, eod. 5764, *Votomatus*, et alii codices aliter.

CAP. XXXVII. « *Litavicus*. Nummos ejus duo ex auro profert Bouteroue (*Des Monnaies de France*, p. 48). Exhibet eos et Havercamp ad Orosium, lib. VI, cap. 11, additque tertium ex suo museo. Epigraphe ibi occurrit LITA. vel LITAVI. Quod pone caput conspicietur C., notat Cabillonum (*Châlon-sur-Saône*). Priores duo nummos offert etiam Pellerin (*Rec.*, I, tab. 124, 6). In posteriore autem epigraphen LITAV. perperam in LITAN. convertendam statuit, et de *Litanobriga* explicat, cujus mentio in Itinere Antonini. » ita Oberlinus. Hujus quoque tres nummos exhibet D. Mionnet (*Descr. des méd.*, p. 91) cum epigrapha LITA. in duobus; sed legit, sicut Pellerin, LITAN. in tertio. Unde conjicio hanc ultimam esse veram lectionem, et revera de *Litanobriga* Bellocorum intelligendam esse, et nullomodo ad nostrum *Litavicum* respicere.

CAP. XXXVIII. *Eporedix* et *Viridomarns*. Hi cum equitatu ad

Cæsarem præcucurrerant. Millin, qui de re antiquaria bene meruit, in *Mon. ant. ined.*, t. 1, p. 146, e lapide detecto anno 1792 in fundamentis arcis *Bourbon-Lancy*, docet *Eporedirigis* nomen esse quale idem hic legitur, ejusque filium *Magnum* clientem fuisse Cæsaris, assumpto nomine *C. Julii*. En inscriptionem :

C. IVLIVS. EPOREDIRIGIS. F. MAGNVS.  
 PRO. L. IVLIO. CALENO. FILIO.  
 BORMONIEE. DAMONAE.  
 VOT. SOI.

In qua legendum BORMONI ET DAMONAE VOTum SOLvit, id est deo *Bormoni* et deæ *Damonæ*, quæ mihi videtur eadem fuisse ac *Damona*, una e *Danaidibus*, et *Damia* vel *Bona Dea*, cujus festum *Damium* kalendis maii celebrabatur, et sacerdos vocabatur *Damias*, a *δαμία* dorice, pro *δημία*, meretrix, gallice *femme publique*, sicut *Venus πάνδημος* et ipsa *Bona Dea*. *Eporedirigis* vero nomen ab *Eporedia*, *Ivrée*, et *rex*, ortum mihi videtur, et *Rex Eporediæ* significare. Pro *Viridomarus* legitur *Virdumarus* in *Fastis Triumphalibus Gruteri*, p. 297 :

M. CLAUDIUS. M. F. M. N. MAR  
 CELLUS. AN. DXXXI. COS. DE.  
 CALLEIS. INSUBRIBUS. ET.  
 GERMAN. K. MART. ISQUE.  
 SPOLIA. OPIMA. RETULIT.  
 DUCE. HOSTIUM. VIRDUMARO.  
 AD. GLASTIDIUM. INTER  
 FECTO.

*Vide* not. in lib. xvii, cap. 3, et lib. v, cap. 3.

CAP. XLII. *Cabillono*. Châlon-sur-Saône, tunc Æduorum emporium frequentissimum. Codices nostri regii *Cavillono*, *Cavillonno* habent. Græcus interpres *Καβιλαύνον*, Strabo *Καβύλλινον*; Ptolemæus et Marcianus rectius *Καβαλλινον*, Notitia dignitatum *Cabal-lodunum*, Ammianus Marcellinus *Cabillones*, Eumenes patria Æduus *Cabillonensis portus*. Igitur urbis hujus nomen a *caballus*, petit cheval, oritur, sicut *Caballinus fons* aut *Hippocrène*, et perperam gallice scribitur *Châlons*, sicut *Châlons* sur Marne, a *Catalauni*, pro *Châlon a Cabillonum*. Male Surita vult *Cabellione*, *Cabellio* enim urbis hodie dictæ *Cavaillon*, nomen est.

CAP. LV. *Bibracte*. Bibracte, Βίβρακτα Straboni, oppidum longe maximum et copiosissimum, et apud Æduos maximæ auctoritatis, dea quoque erat habita, sicut Roma et multæ aliæ urbes quæ in deorum numerum relatæ sunt. Inscriptiones duæ Augustoduni reperiæ habent DEAE BIBRACTI. An eadem sit quæ Augustodunum, hodie *Autun*, postea dicta est, inquirunt eruditi, ac ea de re inter se dissident. Sed ex his inscriptionibus augustodunensibus, et verbis Eumenii rhetoris, confici non potest Bibracte et Augustodunum diversa oppida extitisse, sed potius unam eandemque urbem fuisse.

CAP. LVII. *Lutetiam*. Hodie *Paris*, Galliæ caput et urbium regina. Mediocre erat oppidum; hinc Ammianus *Castellum* vocat, Julianus et Zosimus Πολύχνην, oppidulum. A Juliano male vocatur Λευκετία, metathesi pro *Lutecia*, quasi a λευκός, albus; a plurimis *Lutecia*; sed rectius a Strabone Λουκοτοκία; a Ptolemæo Παρισίων Λουκοτεκία, pro Λουκοτοκία, a græco λυκοτοκος, lupi mater, latine *Lupipara*, unde contractione *Lupara*, hodie *le Louvre*, quod alibi demonstrabo.

CAP. LVIII. *Melodunum*. Hodie *Melun*. Scaliger hoc loco fide nonnullorum codicum reposuit *Metiosedum*, quæ urbs diversa non est a Meloduno, juxta V. C. D'Anville. Codex noster regius, 5763, hoc loco habet *Mellodunum*, et infra *Medodone*, et cap. 60 iterum *Medodone* pro *Mellodone* vel rectius *Melloduno*. At codex regius 5764, notæ haud inferioris habet *Metiosedum*, et infra bis *Metiosedo*, et rursus, cap. 61, *Metiosedun*. Urbs eadem est igitur *Melodunum* et *Metiosedum*. Male Sanson et Hadr. Vales. (*Notit. Galliarum*) volunt *Metiosedum* esse vicum nunc dictum *Meudon*, infra Lutetiam, in monte positum.

CAP. LXVIII. *Alesiam*. Nunc vicus *Alise*, aliter *le bourg de Sainte-Reine*, ubi fons miraculis sanctæ Reginæ celebris, olim urbs Mandubiorum, qui in Æduorum clientela erant « primaria totius Celticæ sedes, urbiumque mater »; unde pagus circumjacens dictus est *Alisiensis pagus*, l' *Auxois* ou l' *Aussois*, et le mont *Auxois*, collis editus ubi erat oppidum *Alesia*. Ita scribunt Cæsar, Plinius, Tacitus, Orosius; Græci vero Plutarchus et Diodorus Siculus, Αλησις; Polyænus Αλαισία, rectius græcus interpres Cæsar's et nonnullæ editiones priscae, et Strabo, et Dion Cassius, Αλεξία; Velleius Paternulus *Alexia*. Oritur enim a græco ἀλέξια, auxiliatrix, quæ opitulatur, sicut *Ops* vel *Opis* dea, sicut *Rhea*, quæ *mater deum* erat,

sicut *Alesia* dea, vel Cybele, mater urbium et turrium, quam colebant Ædui, sicut *Notre-Dame de bon secours* vel *Sainte-Reine*, quæ etiamnum ibi colitur in imo monte *Alexio*, sicut *Berecynthia* quæ a Phrygiis in monte *Berecynthio* colebatur. Etymologia igitur docet *Alexiam* esse lectionem genuinam, contra Vossium, Ursinum et Casaubonem; et urbem *Alexiam* a cultu *Alexiæ*, vel Opis aut Berecynthiæ apud Æduos, totius Celticæ primariam sedem obtinuisse. Re quidem ipsa, Diodorus Siculus, *Bibl.*, lib. IV, ait, Herculem hanc urbem præclaræ magnitudinis extruxisse, et a militiæ suæ errore Alesiam (Ἀλησίαν) nuncupasse, nempe a græco ἄλη, error, ἀλήτης, erro, vagus; sed certe ipse errat, et hæc etymologia mera fabula est. Si ei credatur, hæc urbs, ipsius ætate, quoque in præcipuo Celtis erat honore, quippe primaria totius Celticæ sedes, *urbiumque mater*, et per omnes ætates ab Hercule libertatem defendeat, nec unquam capta erat, usque ad tempus Cæsaris, qui vi expugnavit, et in Romanorum potestatem redegit.

CAP. LXXV. *Ambivaretis*. Cæsar, lib. IV, cap. 9, *Ambivaritorum* mentionem facit, in quorum fines equitatus Usipetum et Tencherorum prædandi frumentandique causa missus fuerat. Sed *Ambivariti* trans Mosam iidem esse non possunt ac *Ambivareti* Æduorum clientes. Tam longe enim ab Æduis dissiti sunt *Ambivariti* trans Mosam, ut in clientela Æduorum fuisse credibile non sit. Conjicio igitur ex Cæsare et etymologia *Ambivaritorum* oppida esse Montem Maledictum, *Montmédi*, forteque *Satanacum*, Stenay, et Sédan. Vide not., IV, 9. Pro *Ambivaretis* vero Glareanus et Ciacconius substituunt *Ambarros*, qui necessarii et consanguinei Æduorum a Cæsare, lib. I, cap. 11 et 14, vocantur. Eisdem esse suspicatur C. V. D'Anville, et ego iis omnino assentior.

*Aulercis Brannovicibus*, *Brannoviis*. «Codices fere omnes ex his tres populos faciunt, interpungentes hoc modo: *Aulercis*, *Brannovicibus*, *Brannoviis*. Item interpres græcus: καὶ τοῖς Ἀυλερκοῖς, τοῖς τε Βραννοουίξι, καὶ τοῖς Βραννουῖοις. Jam vidimus tres populos, sub nomine communi *Aulerci*, designari. Hoc loco apparet quartum esse populum, eodem nomine, sed distinctum cognominibus, *Aul. Brannovices*, *Aul. Brannovii*; et ita legendum existimo.» Ita D. Achaintre; ego vero ex *Aulercis Brannovicibus*, *Brannoviis*, unum populum facio, cujus nomen erat *Aulerci Brannovices* vel *Brannovii*; et illum, cum C. V. D'Anville, ad Ligerim statuo,

in pago a *Brannoviis* dicto *le Briennois* aut *Brionnois*, in diœcesi Matisconensi, proinde in *Æduis* quorum clientes erant. Legendum est igitur *Aulercis Brannovicibus vel Brannoviis*, aut sicut in quibusdam editionibus, includendum *Brannoviis* inter uncas, post *Brannovicibus*.

*Eleutetis Cadurcis*. « Codices nostri et Oudendorpiani fere omnes habent *adjunctis Eleutetis, Cadurcis, Gabalis, Vellaunis*. Unde suspicor quatuor populos fuisse, non tres sub his nominibus. Reipsa *Eleutheri* nomen græcum est, nec causa est eur Galli habuerint nomen græcum, ut jam observavit Morus. Quapropter lectionem codicum restitui. » Ita D. Achaintre, qui addit in indice geographico: « *Eleuteti Cadurci*. Horum uno tantum loco meminit Cæsar, VII, 75, et eos pene potentia Arvenorum subditos docet. Reposui e codicibus *Eleuteti*, quia vox *Eleutheri* (liberi) non convenit populo gallico, multo minus iis qui vel Arvernorum clientes, vel ipsis subditi erant. Rectius tamen scriberetur ex conjectura Cl. d'Anville (*Notice de la Gaule*, p. 440) *Luçteri*, quia de *Luçterio* Cadureo potentissimo mentio fit, lib. VII, cap. 5, 7, 8; item de *Luçterio* quodam Cadureo opulentissimo, qui, ut apparet, idem est ac *Luçterius* supra citatus, cujusque in clientela esset oppidum Uxellodunum: unde conjicere licet *Luçterium* patronymicum esse nomen a Luçteris, qui populus erat pars Cadureorum detracta ab iis, et subdita Arvernis. » Licet *Eleutheri* vel rectius *Heleutheri* sit nomen græcum, mihi luce clarius est *Eleutheris Cadurcis* esse genuinam lectionem: jam satis superque probavi populorum et urbium Gallia nomina græca vel latina esse. Sic infra pro *Helviis; Suessionibus*, legendum existimo *Eleutheris Suessionibus*. Nihil obstat quod ait Cæsar, *Eleutheros Cadurcos* sub imperio Arvernorum esse consuevisse, et Hirtius *Suessiones Remis* esse attributos. In Plinio enim *Suessiones Liberi* quoque nuncupati sunt; non probo igitur lectionem *Luçteri* a *Luçterio*, duce Cadureo potentissimo, quam D. Achaintre, post D'Anville, proponit.

*Helviis; Suessionibus*. Lege *Eleutheris Suessionibus*, ut supra *Eleutheris Cadurcis*. Vide hanc notam.

*Bellocassis*. *Bellocassi* ii sunt qui, II, 4, *Vellocasses* vocantur, quorum nomen contractum et derivatum adhuc superest in nomine pagi gallicæ *Vexin* diœci. Legendum hic igitur *Vellocassis*.

*Aulercis Eburonibus*. Ita legit D. Achaintre, sed male. Nullum

dubium est quin, post *Lexoviis*, *Aulercis Eburovicibus*, hic legendum sit, cum Cellario, sicut legitur supra, III, 17, *Aulerci Eburovices*, ante *Lexovii*. Tres populi apud Cæsarem *Aulerci* cognominantur, *Cenomani*, *Brannovices*, vel *Brannovii*, et *Eburovices*, non autem *Eburones*, qui ab Eburovicibus alii sunt et longe disiti; et nusquam alibi plures reperiuntur, exceptis Diablintibus, qui hoc cognomine distinguuntur apud Ptolemæum, forte quod in clientela Cenomanorum erant.

*Caletes*. « Nostri codices habent *Cadetes*, et permulti alii; et ipse D'Anville (*Not. de la Gaule*, p. 192) non audet rejicere hoc nomen, quanquam qui sint *Cadetes* se ignorare profiteatur. Idem, ait optime D. Achaintre, mihi videntur qui *Caletes* supra memorati (nempe II, 4, et infra VIII, 7, pariter ante *Vellocasses*, iis conterminos). » *Cadetes* enim, sub hoc nomine corrupto, sicut et *Caletes*, inter civitates armoricas numerantur, et una littera tantum differunt. Unum igitur faciunt populum cujus nomen adhuc servat pagus gallice dictus le pays de *Caux*. Ergo rejicienda est supervacanea lectio *Cadetes*, quæ hic tantum in codicibus reperitur.

*Lemovices*. Hæc vox jure suspecta quibusdam, quia jam supra *Lemovices*, id est, les *Limousins*, memorantur, nec maritimi sunt, sed ab Oceano remotissimi. Had. Valesius vulgatam lectionem male retinet, quam antiquissimam esse probat; putatque Lemovices armoricanos partem esse Osismiorum, qui nunc *Leonenses* vocantur, quorum oppidum Sancti-Pauli fanum, *St-Paul de Léon*. Nonnulli alii censent quoque hos Lemovices a Lemovicibus aquitanis distinguendos esse, et partem Osismiorum non contemnendam. P. Ciacconius et Jo. Scaliger contendunt errorem esse in textu, et vocem *Lemovices* delendam esse, veluti supervacaneam; et reipsa nullus, nec Strabo, nec Ptolemæus, nec geographi veteres, de Lemovicibus armoricis locuti sunt. « Ego vero, ait eruditus Achaintre, cum nonnullis viris doctis inter quos Vinetus numerandus, non longe abessem quin pro *Lemovices* legerem *Leonices*. » Mihi videtur nec Lemovices esse armoricanos a Lemovicibus aquitanis alios; nec *Leonices*, nomen barbarum et veteribus ignotum, pro *Lemovices* legendum; nec tandem hoc ultimum nomen delendum. In hoc loco reponere ausim vel *Sesuvii*, qui iidem sunt ac *Eusubii*, vel *Eusebii*, II, 34, in civitatibus maritimis recensiti, quamvis Oceanum non attingant, vel melius



*Baiocasses*, qui hic a Cæsare omittuntur inter armoricas civitates, sed ab Ausonio inter has memorantur, in his versibus de Claris Prof. :

Tu, Baiocassis stirpe Druidarum satus....

Beleni sacratum ducis e templo genus....

Stirpe satus Druidum,

Gentis Aremoricæ, etc.

ubi videre est cultu Beleni inter gentes armoricas Baiocasses celebres esse. Memorantur et a Plinio sub nomine, revera corrupto, quod *Bodiocasses* in codicibus nonnullis, *Vadiocasses* in aliis, legitur, sed inter Viducasses et Unellos nuncupantur, ita ut nihilominus nullum sit dubium de situ et nomine eorum. Citantur denique in Notitia veteri Galliæ sub nomine contracto *Baiocæ*, Bayeux, pro *Baiocasses*, sicut *Drocæ*, Dreux, contractum est pro *Durocasses*, et *Trecæ*, Troyes, pro *Trecasses*. Nomen autem *Armoricæ* (civitates) a græco ἄριμος, compages, concordia, harmonia; ἀρμόζω, apte connecto, et ὄρος, limes, terminus, ὄρια fines, limites, δρῆκός, ad fines pertinens, certissime componitur, significatque, Concordia civitatum finitimarum, gallice *ligue*. Nihil adhuc igitur in hoc nomine celticum, quamvis revera britannice *Armor*, aut rectius *Arvor*, ad mare significet, ex *ar*, super, *mor*, mare; et Britannia minor etiamnum in *Armor* et in *Argoet* vel *Argoat*, seu in regionem maritimam et regionem sylvosam dividatur. *Ar* enim aut *war*, *var*, *oar*, sicut anglice *over*, germanice *ueber*, est vox græca ὑπέρ contracte, *mor* est *mare*, et *coet*, in compositione *goet*, a voce latina *cædua* (sylva subaudita) decurtatur; sicque omnes britannicæ voces originem græcam vel latinam habent. *Vide not.*, VI, 17.

CAP. LXXVI. *Vergasillauno*. Ex Oberlino, O'brien, in suo lexico hiberno, hoc nomen fuisse dignitatis ostendit e lingua celtica (hiberna) *fear-go-saighlean*, vir ad vexillum, vexillarius, gallice *banneret*. Sed jam dixi male sanum esse ab idiomate recentiori et extraneo, valdeque corrupto deducere vocem antiquam. Hoc nomen græcum est, sicut omnia nomina propria gentium quas Græci et Romani barbaras vocitabant, ab ipsis tradita. Mihi videtur ortum a vocibus ἔργον, opus, ut *Vergobretus*, et σέλλω, operam dare, aut a σιλλώω, irridere, forte eodem sensu ac ἐργομοκεύω, illudere, irridere; gallice igitur *Bon-ouvrier* aut *Moqueur* diceretur.



## IN LIBRUM VIII.

CAP. XII. *Vertisco, principe civitatis*. Ita optimi codices; alii *Verucio* vel *Verutio*. Hic *Vertisco* mihi videtur idem ac *Vertico*, nomen hujus Nervii transfugæ, quoque loco nati honesto, v, 45; et utrumque legendum *Vertisco* aut *Vertisto*. Oritur enim a φέρτισκος, voce diminutiva φερτός, præstans, excellens, vel a superlativa φέρτιστος, præstantissimus, excellentissimus.

CAP. XXVI. *Lemonum*. Ita nostri codices; alii *Limorum*. Posterior lectio præferenda est; hoc enim nomen Ptolemæo Δίμωνον, a græco Δειμών, pratum, oritur. Et revera in pratis hæc urbs quæ dicitur hodie *Poitiers* a voce *Pictavi*, in prætis est, ad ripam Clani vel Cleni, *le Clain*.


CAP. XXX. *Drappeten*. « Manuscripti non tamen omnes, ut asserit Oudendorpius, habent ita : nam noster regius 5763, *Drappetem*, et codex 5764, *Draptén*. Melius tamen *Drappeten*, cujus nominativus est *Drappes*. Vox hellenismum sonat. » Ita D. Achaintre. Reipsa id nomen græcum est : originem enim ducit a τραπέω, uvas calco, τραπιτής, uvarum calcator, vel a δραπέτης, servus fugitivus, δράω, famulor, ministro, fugio; proindeque scribendum *Drapeten*, non autem *Drappeten* per geminam litteram *p*, nec *Draptén* contracte.

CAP. XL. *Uxellodunum*. « Hoc nomen, ait eruditus Achaintre, ut pleraque solent nomina propria, corrupte legitur apud codices. Alii *Auxiliodunum*, alii multo plures *Uxellodonum* vel *Uxellodunum*. Noster codex regius 5794 *Velodunum*, quod nomen nullibi ita scriptum invenio. » *Uxellodunum* est hodie *le Puech* ou *le Puy d'Issolu*, ut id Cl. D'Anville certissime stabilivit, et nominis similitudo innuit; nomenque hujus oppidi undique prærupti, adhuc græcum est. A vocibus enim θήν vel θίν, dunum, acervus, cumulus, collis arenaceus, et ὑψήλως, altus, editus, componitur vel conflatur, sonatque *Dunum altum*, vel arduo ascensu, ut ait Hirtius. Nomen autem hodiernum *Issolu* a priori voce *Uxello* oritur; *le Puech* a podium, eodem sensu ac *Dunum*. Scriberetur igitur rectius *Hypsellodunum*.

ELIGIUS JOHANNEAU.



LIBRARY OF CONGRESS



0 003 073 312 5